



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXV. Wilhelmvs. XLIV. Arch. XXVIII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

**LXV. WILHELMVS. XLIV. ARCH.
XXVIII. ELECTOR.**

Wilhelmus ex illustri Baronum de Gennep prosapia oriundus, seditiosorum civium Coloniæ audaciam detestandam quoque expertus est, cùm Canonicorum duo levi de causa trucidati, justam bonorum omnium iram adversus civitatem provocarunt. Annis 13. Colonensi Ecclesiæ præfuit Wilhelmus, quibus proventuum curam adeò sedulam gessit, ut expuncto ære alieno magnam auri copiam corraserit. Dum avarum itaque dixerunt multi, liberalem experti sunt inter Divos Principes Apostoli, quorum duodecim effigies, seu statuas argenteas Coloniæ templo principi donavit etiam hodie visendas. Vita longiori haud indignum mors inter mortales rara extinxit. Cum cercopitheco nimirum, quem aluit, dum forte ludere, aut tempus fallere placuit, accepto in pede lethali vulnera interiit an. 1362.

**LXVI. ADOLPHVS II. XLV. ARCH.
XXIX. ELECTOR.**

Mensibus decem relicta est Sedes vidua, dissidentibus inter se partibus, aliis Joannem Comitem Virneburgicum, aliis verò, imò pluribus Adolphum Comitem Altenanum elegantibus, quorum posterior, cùm oblatam sibi dignitatem desiderasset minimè, prior verò ambiret maximè, eam ob rem Urbanus V. Pontifex latâ sententiâ repulso Joanne, Adolphum confirmavit. Verùm hic stirpis suæ in se unica fronde superstite exspiraturæ memor, & amplæ hæreditatis adeundæ spe allectus, relicta Sede sacra thorum elegit, ducta in conjugem Margaretha Comite Montensi: anno itaque unico Elector fuit.

LXVI.